



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XXXIV. De Purgatione Canonicâ. Et Titulus XXXV. De Purgatione
vulgari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

nomine excelsus venit, quia privilegium meretur
amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate.

TITULUS XXXIV.

De

Purgatione Canonica.

ET

TITULUS XXXV.

De

Purgatione vulgari.

QUÆRES 1. Cur purgationes sint intro-
ductæ? Respond. Cum poena infligi ne-
queat, nisi crimine luce meridianâ clarius
probato; Contingat autem quandoque deficiente
probatione vel accusatione, aliquem de Crimine
commisso gravatum esse, hinc ne delicta ob defectum
probationis impunita manerent, hoc per SS. Cano-
nes diffamato injunctum est, ut is super objecto si-
bi crimine, se purget seu excuset, & Innocentiam
suam ostendat.

QUÆRES 2. Quid sit purgatio & quo-
tuplex? Respond. Purgatio est *innocentia super ob-
jecto crimine certis mediis à Jure inventis facta ostensio.*
Dividitur in canonicam & vulgarem. Vulgaris
est, quàm vulgus contra SS. Patrum traditiones, &
prohibi.

prohibitionem Ecclesiæ superstitiosè induxit. Tales purgationes olim fiebant per aquam, in quam injectus, si mergeretur, innoxius, si supernataret nocens credebatur *cap. 8. b. t.* vel per aquam ferventem in quam immissa manus, si illæsa extraheretur. Innocentia probata erat. *can. omnibus c. 2. q. 5.* vel per rogam candentem & alios similes modos, qui meritò tanquam superstitiosi & à diabolo inventi per SS. Canones sunt reprobati. Purgatio Canonica est quæ ad probationem Innocentiæ faciendam Jure Canonico est approbata, & fit medio juramento, dum suspectus de crimine jurat, se tale crimen non commisisse, & in eum finem quandoque 7. quandoque plures vel etiam pauciores compurgatores Jussu Judicis assumit, qui juratò deponunt, se credere, eum à crimine immunem esse. *c. 5. § 16. b. t.*

QUÆRES 3. Quis sit purgationis effectus? Respond. Effectus Purgationis Canonice est quòd diffamatus à suspitione criminis reddatur immunis, ideoque si jurare noluerit, pro convicto habendus, & secundum qualitatem delicti puniendus erit.

TITULUS XXXVI.

De

Injuriis & Damno dato.

QUÆRES 1. Quid sit Injuria. Respond. Sumitur Injuria dupliciter, generaliter pro omni eo, quod non jure fit; Specialiter autem & pro